

excommunicationem, quae contra tales gubernatores fulminatur de  
Judeis et Sarracenis: Ita quorundam animos etc.

O certe res flenda et multis lachrimis Christo conquerenda,  
quod crucis inimici crucis cultores advocant contra crucis adora-  
tores, et crucis professores praestant auxilium, ut crucis blasphem-  
atores ad crucis abnegationem ducant crucis veneratores! O quam  
mala societas, quam odibilis amicitia, quam detestabilis confoede-  
ratio, quam abominabilis conjuratio et intolerabilis colligatio! O  
Cretenses, bene poeta et veraciter nominat vos malas bestias, qui  
Christo Domino oves suas, quas sanguine proprio redemit, aufertis  
easque lupis, leonibus, pardis, canibus lacerandas, mactandas  
exhibitatis! Concurrite quaeso omnes christiani populi et magno  
zelo accensi illam injustissimam Christianorum et Turcorum socie-  
tatem dissolvite, amicitiam inficite, confoederationem irritate, con-  
jurationem cassate, consilium dissipate, conventionem disjungite,  
ligam rumpite sicque simul omnes Christi baptismate renovati  
praedam illam eripite et in sinum Christi oves innocentes redu-  
cere studete.

Quintum detestabile est, cujus saepe in antedictis memini,  
odiosa diversitas Latinorum et Graecorum, qui simul bono corde  
numquam cohabitent. Saepe conati sunt antiqui patres in genera-  
libus conciliis, synodis et congregationibus, Graecos Latinis unire,  
sed nihil profecerunt, quin potius aversi Graeci totam Orientem  
ab obedientia romanae ecclesiae averterunt. Et profecto dicere  
audeo, et dictum probabile censeo, quod Sarraceni Aegyptum, Ara-  
biam, Palaestinam, Judaeam, Syriam, Mesopotamiam, et Turci  
Ciliciam, Capadociam, Pamphiliam, Cariam et totam Minorem  
Asiam, Macedoniam et totam paene Graeciam et totam Africam,  
et Europae magnam partem nequaquam possiderent, si Graecorum  
odium in Latinos et superbia contra ecclesiam romanam non fuisset.  
Insuper omnes orientales Christianos, Armenos, Nubianos, Abisi-  
nos, Georgicos, Jacobitos, Nestorianos, Maronitos, Graeci ipsi  
corruerunt et ab ecclesiae romanae adhaerentia averterunt et  
hodie avertere non desistunt. Ego aestimo, omnia praelia Chri-  
stianorum contra Turcos, Sarracenos, Barbaros et Tartaros esse  
cassa et vana, nisi Graeci prius radicitus cum sua secta fuerint  
exterminati. Sancta mater ecclesia pia et misericors Graecorum  
contumaciae et superbiae locum dans, eos tolerare cum suis ri-

Ende

Anfang

